Noverint Universi, quod nos Joannes Fortuny et Cathavina Coniuges ...

Nº 1º

31. Enero 1601.

Venta del Predio La Albufera, otorgada por Juan y Catalina Fortuny, á favor de Geronimo Codina.

Arxiu Comtat de Torre-saura

Noverint Universi, quod nos Joannes fortuny et Catharina Conjuges termini
Mercatalli Insule Minoris habitatores, Nunch Vero Ego dictus Joannes fortuny
in Villa Ciutadelle personaliter repertus, non dolo vi vel metu inducti, nec
in aliquo Circumventi, Imo Gratis et Scienter, per nos, et Omnes heredes et Suc-
cessores nostros presentes et futuros, Vendimus et titulo seu ex Causa hujusmodi
Venditionis Concedimus et tradimus vobis honorabili Hieronimo Codina
dicte Ville Ciutadelle habitatori presenti, et vestris et quibus volueritis perpetuo
quamdam pocessionem Nominatam lo Bufera, Vacuam, et exautam
Omni genere bestiarorum, quam Ego dictus fortuny habeo et possideo
uti filius et successor Antonii fortunyo et Riera Matris Mee mortue ab
intestato, illisque succedentis in bonis et hereditate Bartholomei
Riera patris sui [illegible] Mortui ab Intestato, Virtute adjudica-
tionis de dicta pocessione Mihi facte Mediante Sentensia facta
per Regiam Majoricarum Audientiam, ad relationem Admodum Magnifici
Michaelis Mirallas Juris Utriusque Doctoris, Unius que ex Doctori-
bus dicte Regie audientie, et publicata sub die Vigesima quar-
ta Mensis Martii Anni Millesimi quingentesimi Nonagesimi
Sexti, pro ut latius Constat In actis Capibrevationis per Me dicto
fortuny firmate sub die Vigesima quarta Aprilis Anni Milles-
simi Sexcentesimi, apud Discretum Martinum Milla
Nottarium, Situatam dictam pocessionem in dicto termi-
no Mercatalli et Castri Sancte Agathe [illegible] tremontana tentam
sub Alodio et directo Dominio Domini Nostri Regis ad decimam
partem laudimii, et per dictum Dominum Nostrum Regem ad
Censum Viginti duarum librarum Anno quolibet Solvendarum
in festo Sancti Michaelis, et per eundem Dominum Regem ad Cen-
sum Unius quarterie frumenti Anno quolibet Solvende in festo
Sanctorum Petri et Phellipi Mensis Augusti, et per hereditatem
Magnifici Laurentii Lomila [illegible] ad Censum Viginti quinque
librarum, duorum Solidorum et Sex denariorum anno quolibet
Solvendorum in dicto festo Sancti Michaelis, et per hospitale dicte
Ville Ciutadelle ad Censum quatuor librarum Anno quolibet
Solvendarum In dicto festo, et per piam Elemosinam Virginis
Marie de Dolloribus ad Censum decem et octo Solidorum Anno
quolibet Solvendorum in dicto festo, et per vos dictum Codina ad
Censum Octo librarum ex una parte Emptarum a Ludovico Mercadal
anno

Arxiu Comtat de Torre-saura

anno quolibet solvendas in dicto festo Sancti Michaelis, et ex alia parte
ad Censum duodecim librarum in dicto festo, emptas a Mag.co Ioanne Da-
mallives, et ex alia parte ad Censum trium et septem librarum
et duodecim solidos in dicto festo, emptas a Mag.co Ignacio Torrella
et Domina Valentina Conjugibus, et per Mag.cum Ioannem Quart
pro hereditate Dominæ Brigidæ Uxoris suæ ad Censum quatu-
or librarum anno quolibet solvendas in dicto festo. Et affronta-
tur ex suis partibus cum posessione nominata Carbonell, et
cum posessione dicta la Roca, et cum posessione dicta lucatja,
et cum posessione dicta las Covas, et cum litore Maris Portus de
Fornells, et pro ut in dicta ac prechalendata Capibrevatione
latius continetur. Predictam itaque posessionem nominatam
Salbofera, pro ut superius affrontatur, includitur et termina-
tur, cum omnibus integritatibus, propietatibus, terminis, tene-
doribus, pertinentiis, introitibus, et exitibus suis, et generaliter
cum omnibus aliis universis et singulis ad ipsam pertinentibus
et pertinere debentibus, quibusvis Iuribus, titulis sive Causis
Vobis dicto Hyeronimo Cadina presenti, et vestris, et quibus
volueritis perpetue vendimus et tradimus ut superius dictum
est. Pretio videlicet ducentum librarum monetæ Regalium
Majoricarum immutatarum semigentarum, quas a vobis confi-
temur habuisse et recepisse. Unde renuntiantes exceptioni
dictæ pecuniæ non numeratæ, non habitæ et non receptæ
et doli mali et actioni in factum, ac legi quæ subvenit decep-
tis ultra dimidiam iusti pretii. Damus et remittimus vobis
et vestris id quod hæc venditio modo plus valet aut amodo
valuerit pretio ante dicto. Et sic in presenti et ex nunc
constituimus nos prædicta quæ vobis vendimus interim ves-
tro vestrorumque nomine, amodo tenere et possidere donec
inde vos vel vestri posesionem apprehenderitis realem et
corporalem seu quam vel aliam quamcunque libere
vel de facto, quam liceat vobis et vestris apprehendere, et
adipisci, vestra propria authoritate, quandocunque volue-
ritis, et ad ipsam penes vos et vestros licite et perpetue reti-
nere titulo huius et ex causa huiusmodi venditionis. Damus
et cedimus vobis et vestris omnia et singula bona et iura nostra
omnesque

Omnesque voces, vices, rationes et actiones reales et personales, utiles, mix-
tas et directas, ordinarias et extraordinarias, reique persequutorias, et
alias etiam quascunque nobis et nostris in prædictis competentes
et competentia, competereque debentes et debentia causis, titulis
et iuribus quibuscunque. Ita ut iuribus quidem iuribus, vocibus, vicibus
rationibus, et actionibus nostris iam dictis possitis vos et
vestri, amodo uti, frui, agere, experere et experiri, reque
tueri ac deffendere in iuditio et extra, etiam et ubique quo-
niam nos cum presenti ponimus vos et vestros, ut et inde
veros dominos et procuratores, ut in rem vestram propri-
am ad agendum, videlicet et deffendendum, utendum, fruen-
dum, expediendum, dandum, vendendum, cedendum, impig-
norandum, aut aliter alienandum, indeque faciendum
de prædictis vestras et vestrorum omnimodas voluntates, salvo
tamen semper in prædictis iure directo, alodio, dominio, laudi-
mio et fatica Domini nostri Regis et suorum. Et sic conveni-
mus et bona fide promittimus vobis et vestris quod prædicta
quæ vobis vendimus, ut superius dictum est, faceremus vos
et vestros, et quos volueritis semper facere, habere, tenere
et in sana pace perpetue possidere, ac deffendere contra
omnes personas. Et tenebimur inde vobis et vestris, et firmi-
ter teneri promittimus de firma et legali evictione prædicto-
rum, et de restitutione omnium missionum, damnorum,
expensarum et interesse litis et extra. Et pro prædictis
omnibus et singulis sic complendis et firmiter attendendis,
tenendis et observandis obligamus vobis et vestris utriusque
nostrum insolidum omnia et singula bona nostra mobi-
lia et immobilia ubique sint presentia et futura. Renun-
tiantes quantum ad hæc beneficio novarum constitutionum
et dividendarum, cedendarumque actionum, et epistolæ
Divi Adriani, legique et franquesiæ Minorum de principali
prius conveniendo. Et ego dicta Catherina certiorata ad
plenum de iuribus meis per notarium infrascriptum
renuntio beneficio Velleiani senatusconsulti, iurique hipote-
carum meorum, et authenticæ si qua mulier C. ad Vellea-
num, et ambo insimul renuntiamus legi sive iuri dicenti
generalem

Arxiu Comtat de Torre-saura

Generalem renuntiationem non valere. Actum est hoc in Villa
Cutadella Insulæ Minoricarum die trigesima Prima Mensis
Januarij Anno a Nat. Dni. Millesimo Sexcentesimo pri=
mo. Sig + na Nostrum Joannis Fortuny et Catharinæ Conju=
gum Venditorum prædictorum qui prædicta laudamus concedimus
et firmamus.

Testes hujus rei sunt Mag.cus Egidius Mar
torell Domisellus et Bernardus Morera
Villæ Cutadellæ habitatores Inquorum præ=
sentia firmavit tantum dictus Joannes
Fortuny. Testes vero firmæ dictæ Catha
rinæ Fortunya quæ prædicta firmavit
die vigesima secunda Martij 1601. sunt
Fran.cus Costa cultor et Bartholomeus
Moyses alias Capella ferri faber Populæ
et termini Mercatalli habitatores.

Sig + num meum Raphaelis Alberti Nottarij Publici, Apos=
tolici per universum, publicisque Minoricarum authoritatibus
In Villaque Cutadellæ domicilliati, qui hoc Instrumentum
Rogatus et requisitus recepi, scripsi, clausi et signavi.

Sit Omnibus Nottum quod Nos Joannes Fortuny et Catharina Conjuges
termini Mercatalli habitatores. Gratis et Scienter Confitemur
et In veritate recognoscimus Vobis honorabili Hyeronimo Codina
Villæ Cutadellæ habitatori presenti et Vestris quod dedistis et
solvistis Nobis Cum Omnimoda Voluntati Centum quadra=
ginta sex libras decem solidos et quatuor denarios Monetæ
Majoricarum et sunt In Compputum et rationem illarum
ducentum librarum Pretio quarum Vobis Vendimus quan=
dam pocessionem Nostram Nominatam Lallofera
pro ut in Instrumento Venditionis die presenti facto
In posse Nottarij Infrascripti latius est videre. Unde
renuntiantes exceptioni dictæ pecuniæ non numeratæ non
habitæ et non receptæ et doli Mali et actioni in factum
facimus Vobis et Vestris de prædictis Centum quadraginta sex
libris et Quatuor denariis hanc finem et presentem Apocham

de Soluto, In testimonium præmissorum. Actum est hoc In Villa Cutadella Insulæ
Minoricarum Die trigesima primo Mensis Januarij Anno a Nat. Dni. Mil=
lesimo Sexcentesimo primo. Sig + na Nostrum Joannis Fortuny
et Catharinæ Conjugum prædictorum, qui prædicta laudamus concedimus
et firmamus.

Testes hujus rei sunt Mag.cus Egidius Martorell Domi=
sellus et Bernardus Morera Villæ Cutadellæ habitatores
Inquorum presentia firmavit tantum dictus Joannes
Fortuny. Testes vero firmæ dictæ Catharinæ
Fortunya quæ prædicta firmavit die vigesima
secunda Martij 1601. sunt Fran.cus Costa cultor
et Bartholomeus Moyses alias Capella ferri faber
Populæ et termini Mercatalli habitatores.

Sig + num Meum Raphaelis Alberti Nottarij publici et Apos
tolici Minoricarum In Villa Cutadella domicilliati, qui hæc scripsi clau
si et signavi.

Antecedens Copia in his tribus papiri folijs Cum presenti Comprehensa
sumpta fuit fideliterque abstracta, a quadam Copia Authentica in
pergamino descripta quæ reperitur In posse Adm. Mag.ci Domini Ber
nardi Ignatij Olivar et Quart, Anno Currenti Bajuli Gen.lis Totius Minoricarum
Insulæ, per Me Joannem Buils Nott.um et Cum dicta Copia verida
ac pro ut decet Comprobata per Me dictum [illegible]. Utque Igitur Copia
prædicta propia Mea Manu scripta plena indubiaque fides hibea=
tur tam In Juditio quam extra, hæc propia Mea Manu scripsi et sig
num Mei Nottariatus apposui ut infra. Magone Minoricarum Insula
die 14. Julij 1753. ad requisitionem dicti Adm. Mag.ci Domini
Bernardi Ignatij Olivar et Quart. Quare &a.

Joannes Buils Not.

Arxiu Comtal de Torre-saura

Arxiu Comtat de Torre-saura

Arxiu Comtat de Torre-saura

Arxiu Comtat de Torre-saura